

scipuli censuras præceptorum; et duo illi tardi corde increpationem Domini. Atque hi similes sunt Jacob, filio morigero, qui monita matris suæ Rebecæ omnia libenter admisit et secutus est, ut patet in præripienda patris benedictione, et suscepta peregrinatione in Haran ad instantiam matris, denique in accipiendis uxoribus ex ejusdem desiderio et voto, Gen. XXVII. Qui hoc dono carent similes Esau fratri Jacobi, barbaro et immorigero, qui contra votum et voluntatem parentum duxit uxores alienigenas, quæ offenderant ejus parentes, Gen. XXVI.

VII. « In Spiritu sapientiæ die quadragesimo apparuit eis, quando videntibus illis elevatus est, et viderunt Filium hominis ascendentem ubi erat prius. Usque ad illam enim diem quasi per stultitiam prædicationis salvos faciebat credentes: postquam vero coram eis ascendit ad Patrem, jam cæpit sapientia declarari, » ait Bernardus cit. Exurgit nobis sæpius tædium rerum supernarum et vilipensio spiritualium ac cælestium, eo quod immersi carni, sensuales potius appetamus delicias; quo modo filii Israel nauseam conceperunt ex quotidiano manna, cum dixerunt: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo: recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt capre et allia, etc.* Contra hoc tædium armat nos Dominus dono Spiritus sancti, quod vocatur sapientiæ, et spretis his terrenis elevat nos ad amorem rerum cælestium, ut jam nihil desideremus in terris, sed ad cælestia aspiremus. Impressit hoc donum Dominus valde potenter suis, quando in eorum conspectu ascendens in cælum traxit quodammodo secum mentes eorum, ita ut oculis suis cælo affixi et suspensi hærent, nec jam viderent aut curarent, quæ in terris agebantur; siquidem nec angelos sibi adstantes observarunt donec eorum alloquio ad se reducerentur, quasi in extasi prius fuissent constituti. Dono igitur sapientiæ sæpe excitamur et adjuvamus, ut nostras omnes actiones et intentiones ad cælum dirigamus. Laborarunt ea in re discipuli illi, qui jamjam ascensuro Domino interrogarunt eum: *Si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Temporale scilicet, quale erat sub Salomone et adhuc magnificentia majori. Sed ad hanc quæstionem quid respondet Dominus? Non respondet directe, sed ablegat ad Spiritus sancti missionem, qui eos in hac re docturus sit; interim paulatim incipit elevari a terra et cælum petere, ut hoc facto satisfaciatur eorum quæstioni, dicens quodammodo: *Videte quale, et ubi sit regnum Israel, quod queritis restitui: in cælo est, quo ego vado; non in terra, ubi vos hæretis.* « Quemadmodum (inquit in eum locum Sanctus

Chrysost. hom. II. in Acta) cum videmus infantem plorantem semperque cupientem aliquid a nobis accipere, quo nil illi est opus, cum occultato potius quod concupiscit, ostendimus illi manus vacuas dicentes: *Ece non habemus.* Itidem et ille fecit apostolis. Sed quemadmodum puer ille, si postea nihil ostendamus instat plorando, videns se esse delusum, deinde eo relicto discedimus, dicentes: *Vocat me talis, et aliud quiddam ejus loco quod concupiscebat damus, volentes illum advocare ab eo quod maluisset accipere, extollentesque illud quod in alterius locum damus, eo dato repente subducimus nos.* Itidem fecit et Christus, etc. » Qui ergo velut infantes erant incapaces tantæ responsionis, remisit eos ad Spiritum sanctum docturum eos omnia: interim tamen sua ascensione resolvit quæstionem, et quæ sursum sunt, sapere docet, non quæ super terram; quod et nobis largiatur Deus.

CONCIO II.

CUR IN FORMA LINGUÆ SPIRITUS SANCTUS APPARUERIT.

I. Ad Spiritus sancti proprietatem representandam. — II. Ad indicandum donum linguarum. — III. Ad arguendos infideles, et Judæos, et Christianos malos. — IV. Ad reformandam linguam nostram.

THEMA.

Apparuerunt illis dispersitæ linguæ. Act. II.

Audivimus his diebus qua pompa et specie venerit Spiritus sanctus, nimirum cum vento vehementi et cum igne; nondum tamen audivimus, quare in specie linguarum se disperserit Christianis. Hoc ergo nunc videndum.

I. Ad proprietatem Spiritus sancti presentandam. Intellectus verbum mentis formans, est quasi Pater: verbum mentis Filius: lingua seu vox linguæ quasi Spiritus sanctus ab utroque prodiens. Rursum Pater est quasi cor, Filius quasi guttur, Spiritus sanctus quasi lingua, ab utroque procedens. Tria illa membra connexa sunt, quemadmodum et tres divinæ Personæ in Deo. Pater est quasi fons, unde emanat aqua: Filius est quasi canalis: Spiritus sanctus quasi fontana, dividens aqua et quaquaversum per tubos effundens.

II. Ad indicandum donum linguarum, apostolis et primis Christianis conferendum, cujus beneficio primitiva Ecclesia ex variis nationibus, coalesceret. Hoc indicat Lucas cum ait: *Cæperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Promisit hoc idem Christus discipulis, Math. X. *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ubi

non solum lingua sed etiam sapientia a Spiritu eis instillanda promittitur. Linguæ porro illæ ignitæ erant: *Ut verbis igneis loquerentur, et legem igneam lingua ignea prædicarent,* ait Sanctus Bernardus, sermone I. in pentecoste. Erat autem donum illud linguarum duplex eis infusum, ut scilicet omnibus linguis loqui possent, et ut una loquentes a pluribus diversarum linguarum nationibus intelligerentur, quod modo Sanctus Vincentius Ferrerius dum Hispanice concionaretur, ab Italis, Gallis, Flandris et Anglis intelligebatur, et Sanctus Xaverius, qui duodecim diversa interrogantibus una responsione satisfacit.

Datum vero eis hoc donum primo, ut orbem universum peragrantes, evangelium omnibus nationibus annuntiare possent; quod facere non potuissent, si earum linguas proprio studio discere debuissent. Modo vero cum in omnibus nationibus sufficientes sint omnium linguarum prædicatores, necessarium id non est. Subinde tamen etiam posterioribus sæculis, quando salus proximi aut gloria Dei id exigebat, concessum fuit hoc donum, ut dixi de Sancto Vincentio et Xaverio. Testatur etiam S. Irenæus, lib. V. cap. VI, audisse se multos universis linguis loquentes; Sanctum Bernardinum, in Conc. Florentino Græce; S. Antonium Ulyssipon. coram pontifice Italice prædicantem variæ nationes intellexerunt; S. Ephrem Syrus cum S. Basilium invisisset, et lingua ignea Græce concionantem audisset, petiit impetrari sibi ab eo gratiam intelligendi et loquendi Græcam linguam. Orarunt ergo simul, et post Basilium: *Jube nos surgere,* ait. Tum Ephremi lingua soluta, hæc protulit prima verba: *Salva, miserere, resuscita et custodi nos tua gratia,* Amphiloehius tomus 4. operum Ephrem. Sancta Ludgardis virgo monialis Teutonice consolatura mulierem afflictam Gallicanæ Germanice loquebatur, et tamen ab afflictâ illa, quasi Gallice loqueretur, perfectissime intellecta fuit. Ita enim desolata illa post colloquium ad cæteras moniales protestatur: *« Cur dixistis hanc sanctissimam feminam esse Teutonicam, quam ego prorsus Gallicam cognovi? Neque est sub cælo ulla alia, quæ me verbis suis ad spem veniæ reducere potuisset. »* Ita Thomas Cantipratensis, in ejus vita, apud Surium, 16. junii.

Secundo, ut per miraculum gentes ad fidem attraherentur; uti factum post apostolos alioque per S. Xaverium, quem cum concionantem diversæ nationes sua lingua expedite loquentem audissent, id pro maximo miraculo ab iis habitum, non solum auxit venerationem Xaverii, sed multos etiam ad fidem convertit, uti fatetur cardinalis de Monte in relatione de eo facta in consistorio coram Gregorio XV.

Tertio, ut mundus intelligeret omnes nationes in una fide colligandas esse, adeoque fidem unam eandemque per omnes nationes propagandam. Contraria est Ecclesia turri Babel, quæ est hæresis; per hanc enim dividuntur homines a se invicem, in varias sectas, ut alter alterum non intelligat, veluti structores turris Babel. At in Ecclesia Christi variæ nationes congregantur, ut se invicem omnes intelligant. Quare ex Indo, Mexicano, Anglo, Germano, catholici, quæ sint fidei dogmata, quot sint fidei dogmata, quot sint sacramenta, etc. omnes idem respondebunt. Non sic hæretici, quia inter se divisi.

III. Ad arguendos infideles, Judæos et Christianos malos atque ingratos, juxta prædictionem Christi: *Cum venerit ille, (Spiritus sanctus) arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* De peccato arguit infideles, quia non crediderunt in eum, cum tamen audissent apostolos loquentes variis linguis, quas non didicerant, facientes prodigia, evertentes idola, sanctissimas leges tradentes, sanctissime viventes, totum orbem convertentes.

De justitia Judæos, quia *justum*, Dei Filium occiderunt, quia in sepulcro non repperunt, quia custodes narraverunt. Hinc toties pungit eos per Petrum in prima ejus concione: *Per manus iniquorum affligentes interemistis: et Dominum eum et Christum fecit Deus, quem vos crucifixistis,* Act. II. iterum: *Deus glorificavit Filium suum Jesum, quem vos tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo, dimitti,* Act. III. postea totum concilium et principes: *Quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis,* Act. IV. Pungit per Sanctum Stephanum eis exprobrantem: *Cujus (justi) vos nunc proditores et homicidæ fuistis,* Act. VII. Quibus auditis alii compuncti sunt ad penitentiam, alii ad cruciatum et confusionem. Et jure quidem: pupugerunt enim et ipsi Christum lingua, cum clamaverunt: *Crucifige.* Arguit eos, cum per Titum inclusit, occidit, cepit, dispersit, e terra sua ejecit: arguit etiamnum, dum tot sæculis dispersos sub jugum Christianorum aliarumque gentium misit, premit, et velut testas figuli contractas caleat earum pedibus, etc. Unde usque in hodiernum appellantur a Christianis deicidæ, subsannantur et exterminantur.

De judicio arguit Christianos malos, quia cum dæmon jam judicatus, victus et enervatus, tamque facilis, trita ac plana in cælum via facta sit, a tot martyribus, confessoribus, virginibus superata, adhuc tamen de ea deflectunt; quos proinde judicium longe gravius manet, quem Judæos vel gentiles. Quemadmodum enim Bethsamitæ, quia mera libidine et curiositate sine

everentia arcam fœderis inspexerunt, subita morte plexi sunt; Philisthæi vero, qui non solum inspexerunt, sed etiam attractarunt, dum captivam adduxerunt, nullum ex eo pœnam incurrerunt, 1. Reg. V. et VI. quia nimirum illis velut Judæis perspecta erat arcæ majestas: his vero minime, velut gentilibus: ita et Christiani nabent cur magis timeant Dei erga se vindictam, quam cæteri, qui non norunt Christum.

IV. Ad reformandam linguam nostram. Venit enim velut recreator et renovator mundi, juxta id Psalm. CIII. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terræ.* Si quid vero indigebat reformatione, lingua indigebat; quia eam: *Nullus hominum domare potest, eademque hominem facit inquinatissimum, si perversa est: ostendit virum perfectum, si castigata est, teste Sancto Jacobo, cap. III. Ergo Spiritus sanctus, primo, ostendit nobis linguam igneam, quæ nimirum ignitur in sancta communione, fitque regius Christi equus, juxta id Chrysostomi, homil. XII. in Matth. « Magis quam pupillam oculi linguam tuam custodias. Regius quidam equus est lingua nostra. Si ergo ei frænum immiseris, et doctrina tua gradarium feceris, ascendet in eum rex, et quiescet in eo: si autem nullo fræno domueris, sed huc atque illuc infrænem permiseris, diaboli eam vehiculum fecisti. » Sic ille.*

Secundo, ostendit linguam perversam futuram aliquando igneam in gehenna, qualis factus est epulonis; quæ, ut vult Sanctus Gregorius, homil. XL. ideo præ aliis membris punitur, quod in conviviis, ut fieri solet, vaniloquiis et detractionibus, etc. vacarit. Cogita et alios ob linguæ intemperantiam fuisse punitos. E multis vide unum. Nobilis quidam Prussiæ patibularios, qui Leunenburgensi Prussiæ in furca pendebant ex petulantia et in animi levitate ad mensam transiens invitavit. Illi ad dictum diem mane hora nona comparuerunt cum catenis suis, et mensæ assederunt. Finito convivio (in quo epulæ disparuerunt) gratias egerunt nobili, eumque vicissim invitarunt ad patibulum suum post quartum mensem. Nobilis diligenter sibi cavet, extremoque die dicti termini exspatiatur equo: itaque deprehenditur a licitoribus, qui prædones (quorum tunc magnus ibi numerus erat) pervestigabant, et pro prædone habitus in illud idem patibulum suspenditur. Refert Gasparus Hennenberger, in chronico Pruss. Bene igitur Ecclesiasticus, capite VII. monet: *Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat et exaltat, circumspexit Deus.*

CONCIO III.

QUAM NECESSARIUS FUERIT MUNDO ADVENTUS.

I. Ut bene agendum et cœlestia quærenda nos pelleret.—II. Ut mundum renovaret.—III. Ut invictos redderet contra persecutores.—IV. Ut Ecclesiam perficeret.—V. Ut esset pater et consolator pauperum.

THEMA.

Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.
Joan. X.

Sive mundi hujus creationem, sive Ecclesiæ Christi foundationem considero, utrobique deprehendo sine Spiritu sancto neque illum, neque istam obtinuisse vitam, vigorem et perfectionem. De mundi creatione ita scribit Moyses: *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi: et Spiritus Dei ferebatur super aquas, Genesis I. ut nimirum eis vim prolificam inderet, indeque omnis generis animantia et germina produceret et vivificaret: quo modo aves incubando ovis sus fovent ea, et animant atque excludunt: quod indicat vox Hebræa merachephet, quod est, instar volucrum nido incubare.* Prima etiam Christi Ecclesia ex centum viginti fidelibus metu Judæorum conclusa et congregata in una domo montis Sion, quid nisi terra erat inanis adhuc et vacua? Vita et vigore ad prædicandum evangelium, mundumque convertendum, plane destituta? Venit enim super eam Spiritus sanctus, et incubando parvæ illi domui, quasi nidulo et ovis suis, vitam eis tribuit, robur quoque et leoninos spiritus ad invadendum mundum barbarum et perversum, ad Christi fidem adducendum. Quare sicut mundo perficiendo et exornando necessarius fuit Spiritus sanctus, ita et Ecclesiæ Christi animandæ, roborandæ, perficiendæ, cujus rei causa aliquot indicabimus.

I. Ut ad bene agendum et cœlestia quærenda nos impelleret. Difficilis est virtus in natura peccato corrupta, sed maxime lex Christi, quæ sanctitatem et perfectionem urget ac requirit, difficilis, inquam homini, carni immerso et passionibus aggravato. Unde Sanctus Augustinus, libro de spirit. et lit. capite III. ostendit non sufficere homini liberum arbitrium et implendam justitiam christianam, sed necessarium esse Spiritum sanctum: « Nos, inquit, dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vincere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus

est etiam nunc cum per fidem ambulatur. » Cogita in mari navim prægrandem ferro onustam et absit ventus: quam multi remiges necessarii erunt, ut propellant navim! Et quam lente procedet ea navigatio! Postea spiret ventus secundus, et vela expandantur; videbis navim non tam currere quam volare. Navis est homo, oneratus corporis miseriis et necessitatibus, pressus passionibus: hinc impeditur a progressu ad virtutes et cœlestia cogitanda agendaque: (*Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam. Sapient. IX.*) quare si desit ei flatus et impulsus Spiritus sancti, hærebit miser in salo, nec ulla ratione propriis pergere vicibus poterit. Pari ratione nihil proficiunt, qui sine Spiritu sancto alios docent. Audiamus Sanctum Basilium, homil. de Spiritu sancto. « Da mihi navim, inquit, gubernatorem, nautas, funes, anchoras, omnia disposita, et nusquam esse spiritum venti, nonne cessat omnis qualiscumque apparatus, si desit operatio spiritus? Ita licet sit sermonis ampla suppellex, mens profunda, et eloquentia, et intelligentia, si non adsit, qui vim suppeditat, otiosa sunt omnia. »

II. Ut mundum renovaret. Hanc mutationem prævidens lumine prophetico David, Psalmo IX. *Annuntiate inter gentes studia ejus, seu ut Aquila vertit: Mutationes ejus.* Quam translationem secutus Theodoretus ad eum locum: « Revera, inquit, mutatio fuit rerum omnium maxima. Qui quondam inimici erant, amici sunt, longinqui proximi: filii qui in ignorantia erant, in cognitione sunt: quin tenebris, in luce: in spe vitæ, qui mortui erant: pauperes, hæredes regni cœlorum: Judæi procul, et gentes prope: filii canes et canes filii. » Quæ potentia, quæ vires, tantam tamque stupendam rerum omnium inversionem facere in mundo poterant, nisi Spiritus sanctus apostolos, eorumque posteros, prædicatores, ad hoc armasset et confortasset? Nisi Spiritus sanctus audientium corda afflasset, et salutari timore corripuisset? Hinc enim Psalmo XLVII. (qui adventum Spiritus sancti luculenter ostendit) dicitur de mundi superbia ad humile Christi jugum depressa: *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis.* In quem locum Sanctus Augustinus: *Breviter, inquit, evertes superbiam gentium.* Porro per Tharsim intelligit superbam et olim navigationibus florentem, gentiumque domitricem, Carthaginem, quasi typum mundi indomiti: quem prædicatione extremi judicii edomuit Spiritus sanctus: *Quomodo in spiritu violento?* inquit: *Sic enim eum tremuit omnis superbia judicatorum, ut in humilem crederet, ne excelsum expavesceret.* Eodem hoc timore corripuit Judæos prius plane induratos, ut se in fide Christi erudiendos com-

mitterent apostolos, quos demisso Spiritu sancto agnoscere et venerari cœperunt, velut homines cœlestes et divinos, qui cum Elia ignem e cœlo evocare, et in hostem evibrare possent; ut indicat Sanctus Lucas, Actorum II. illis verbis: *Fiebat autem omni animæ timor, et metus erat magnus in universis.*

III. Ut fortes et invictos contra adversarios et persecutores nos efficeret. Ita Divus Cyrillus, libro X. in Joannem, capite XXXIX. « *Portebat, inquit, ut illum habentes, tam adversus diabolium, quam adversus persecutiones hominum fortes efficeremur: » et mox: « Quod in discipulis factum fuisse invenimus, qui per spiritum sane ad eam fortitudinem ab humana ignavia reducti sunt, ut nec ulla pericula timerent, et Christo inseparabiliter inhærent. » Hunc petebat David, quando dicebat: *Spiritu principali confirma me,* Psal. L. Sciebat enim David, quod infirma esset omnis anima, nisi Spiritus sancti virtute fuerit firmata, » ait in eum psalmum Sanctus Gregorius. Fortissimus erat Samson, cum Spiritum fortitudinis secum haberet, quid enim tunc non effecit? *Irruit in eum Spiritus Domini, et dilaceravit leonem quasi hædum in frusta discerpens,* Judicum XIV. At ubi eum Spiritus hic deseruit, una muliercula a se abegit, et in hostium manus impegit. Debebant apostoli eorumque sequaces, prædicatores, invadere leones rugientes, hoc est, reges et tyrannos, barbaros, superbia tumidos, immanes, truculentos, et Christo subicere. Qua vero ratione noc efficerent suis præcise nixi viribus? Necesse igitur fuit, ut Spiritu sancto corroborarentur, et in viros æneos quasi aut igneos mutarentur. Propterea Dominus noluit, ut statim a resurrectione et ascensione sua prodirent in aciem ad invadendum mundum; sed dixit: *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto,* Lucæ, XIV. versu XLIX. In quæ verba Sanctus Chrysostomus ait: « Sicut milites invasuros multos nemo dux exire sinit: sic et discipulos ante Spiritus descensum egredi non permisit, unde subdit: Vos autem sedete in civitate, etc. » Neque vero hoc in apostolis solum operatus est, sed in aliis quoque fidelibus, quos afflatu suo replet. Hinc Divus Basilius, libro VI. de vera virg. « *Divino instigante amore, inquit, rotas carnificum, verbera, ignes, carceres et bestias non expavescit qui contemnit pretiosas et decoras vestes, vili indutus tunica ac sacco, quantumcumque perpendat in oculis hominum hæc deliramenta esse, vult stultus ab hominibus haberi, ut divina (si ita dicere licet) insaniam sapienter sit insanus. »**

IV. Ut Ecclesiam vivificaret, exornaret ac perficeret in Dei cultu et vitæ sanctimonia. Ita

Sanctus Augustinus, in sermone II. feria II. pentecostes: « Anima, inquit, omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat: omnibus simul adest membris, ut vivant, vitam dat omnibus et officia singulis. Sic est Ecclesia Dei. In aliis sanctis facit miracula, in aliis loquitur veritatem, in aliis sanctis custodit virginitatem, in aliis sanctis custodit pudicitiam conjugalem, in aliis hoc, in aliis illud: singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Quod autem anima corporis hominis, hoc est Spiritus sanctus corpori Christi, quod est Ecclesia; hoc agit Spiritus sanctus in tota Ecclesia, quod agit Ecclesia in omnibus membris corporis. » Adam e limo terræ a Deo efformatus, hominis quidem speciem habebat, sed antequam inspiraretur ei spiraculum vitæ nec movere se, nec loqui, nec aliud quicquam agere poterat, postea vero et locutus est, et ambulavit, et omnis generis functiones peregit. Verum quia peccatum secundum animam se destruxit nova instauratione indiguit. Unde Divus Cyrillus Jerosolymitanus, cateches. XVII. *Sufflatio Dei*, inquit, cum obscurata esset per peccatum nova indigebat inspiratione. Itaque per adventum Spiritus sancti corpus Ecclesiæ prius quasi terreum et sensu destitutum; vivere et in membris suis varias undique operationes edere cœpit. « Respice, inquit Cyrillus, cujuslibet nationis episcopos, sacerdotes, diaconos, monachos, virgines, et reliquos laicos, et respice magnum hunc præselem et gratiarum parochum seu exhibitorum, quomodo in universo mundo aliis castitatem, aliis virginitatem, aliis studium paupertatis, aliis vim repellendi adversarios spiritus tribuat; et quemadmodum sol uno radio progressu illuminat omnia, ita Spiritus sanctus eos, qui habent oculos, illustrat. » Id ipsum Sanctus Chrysostomus, homilia XIII. in Genesim super id: Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, alio simili declarat: « Formatum corpus hoc juxta præceptum Domini, quasi instrumentum erat, quod egebat aliquo se movente, imo sicut lyra, quæ opus habet aliquo, quo possit arte et scientia sua per membra sua, quasi per fistulas convenientem illi melodiam domino repræsentare. » Hujusmodi lyra et Ecclesia, lyricen vero Spiritus sanctus, qui mutam lyram illam fecit resonare; et omnis generis cantilenas Deo gratas canere. Domus erat Ecclesia, a structore quidem Christo affabre constructa, egebat tamen adhuc insigni artifice, qui eam exornaret, dealbaret, depingeret, fenestris, fornacibus, et variis utensilibus impleret atque instrueret, et hic est Spiritus sanctus, de quo Ecclesia canit in res-

ponsorio, feria VI. post pentecosten: *Omnium est artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.*

V. Ut pauperes, afflictos et angustiatos, quorum ingens numerus in Ecclesia futurus erat, consolaretur et protegeret, ne in suis afflictionibus animum desponderent. Aspera quæque apostolis suis ferenda Deus prædixerat Joannis XV. *Absque synagogis facient vos, etc.* docuerat, et aliis justis per varias tribulationes intrandum esse in regnum cælorum, commendarat paupertatem et patientiam amicis suis. *Adversis enim probatur amor*, inquit Chrysostomus, homil. VI. de sancta feria passionis, *affectio pensatur periculis, penis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur.* Ad hæc autem superanda necessarius erat aliquis consolator, qui est Spiritus sanctus, propterea ab Ecclesia in hymno appellatur *Pater pauperum, et consolator optimus.* Stannum alia metalla defendit ab igne, ne urantur, concrementur, teste S. Hieronymo, in Zachariam, cap. IV. ita Spiritus sanctus sua consolatione tuetur afflictos, ne animo cadat. Quem imprimis experti sunt apostoli, e quibus Paulus, II. Cor. I. ait: *Sicut abundant passionibus Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.* Nimirum sicut angelus Domini descendit in fornacem, ubi erant tres pueri, et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem; ita Spiritus sanctus descendit ad apostolos, ut eos in variis et continuis tribulationibus positos, et in prædicando evangelio desudantes, suavissimo suo afflatu subinde refrigeraret. Neque vero illi dumtaxat, sed et alii pauperes et afflictos, qui vel propter fidem spoliandi erant bonis suis, vel ob amorem Christi sponte electuri statum paupertatis, vel ob varios casus in eam devolvendi, ingenti plane numero, indiget hoc refrigerio; quod abunde ipsis quoque exhibuit Spiritus sanctus. Unde enim putatis tot ubique locorum inter Christianos domus pauperum, xenodochia, nosocomia, orphanotrophia, leprosoria et similia hospitalia (quorum ante adventum Spiritus sancti nulla fere mentio fit) nisi a Spiritu sancto, qui fidelium mentes ad eorum fundationes et dotationes faciendas excitavit? Hanc enim ob causam utique passim et ubique fere domos illas Spiritui sancto velut præsi ad patrono dicatas observamus. Hic namque est, qui initio statim Ecclesiæ inspiravit apostolis, ut a ditioribus Christianis exigerent collectas seu eleemosynas spontaneas singulis dominicis (quia et in dominica die Spiritus sanctus missus fuit) et distribuere in pauperes, qui erant Jerosolymis præsertim, exuti bonis suis, uti patet ex apostolo, I. Cor. XVI, vers. 1. ad Galatas II. vers. X. Inspiravit primis Chris-

tianis divitibus, ut venditis suis fundis, pretium apostolis traderent pro communibus Ecclesiæ necessitatibus et alendis pauperibus, ut habetur Actorum IV. Quia in re eum fraudem admisissent Ananias et Sapphira, increpans eos Petrus, dixit Ananias imprimis: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* Postea ejus conjugi: *Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Actorum V.* Utrobique audimus defraudatione illa offensum esse Spiritum sanctum. Ecce vero, nisi quia ipse est pater pauperum, et protector eorum erat, in quorum sustentationem deponenda erat eleemosyna illa, per votum eis addicta? Inspiravit piis et simul opulentis Christianis, ut passim fundarent, extruerent et dotarent xenodochia, et hujusmodi pauperum domicilia per universum christianum orbem innumera, quibus sublevarentur miseræ pauperum, senum, orphanorum, fractorum, ægrorum, leprosorum, peregrinorum, qui prius sub gentilismo erant desolati, despecti, neglecti. Hujusmodi fundatores hospitalium domorum erant S. Chrysostomus, S. Basilius, S. Gregorius Magnus, Pammachius, apud S. Hieronymum, epistol. XXVI. Zoticus Constantinopoli, apud Baronium, anno 330. Pelagius papa II. S. Adelhardus, S. Ansbertus, S. Editha, S. Gualterus aliique.

His igitur expensis non satis aperte videmus venisse Spiritum sanctum, ut vitam haberent homines, qui ante adventum ejus velut mortui jacebant, et ad interitum tendebant? Hunc itaque vitam nostræ inspiratorem laudemus et veneremur.

CONCIO IV.

LEX EVANGELICA QUAM SIT SALUTARIS, ET QUOMODO SERVANDA.

Columna ignis et nubis fuit typus legis evangelicæ.

- I. Quia lumen accendit, et qua eundem docet. —
- II. Quia ad recte agendum etiam stimulat. —
- III. Protegit ab hostibus, tuetur in tentationibus. —
- IV. Demonstrat patriam celestem, eoque ducit.

THEMA.

Vadit ante eas, et oves illum sequuntur. Joan. X.

Magnum profecte et stupendum donum ac beneficium contulit Hebræis Deus, quando per desertum ad promissam terram peregrinantibus misit columnam ignis, quæ doceret ac præcederet eos toto illo itinere. Plurima enim bona contulit eis columna illa: viam ipsis monstravit, noctu eos illuminavit simul et calefecit, protexit ab inimicis, ac denique induxit in terram lacte et melle manantem. Verum longe majus non immerito asserimus beneficium legis di-

vinæ, prolongatæ per hos dies ab apostolis in monte Sion; ut quæ nos ad instar illius columnæ igneæ, per hujus nostræ peregrinationis vias ducit, et inducit non in terram lacte et melle manantem, qualis erat Palestina, sed in terram viventium, in cælestem beatitudinem: in ipsa etiam peregrinatione tanto majora confert bona, quanto præstantior est in veteri lege nova. Quare de ea merito intelligimus quod Proverbiorum IV. legimus, quasi a Deo nobis dictum ac promissum: *Donum bonum tribuam vobis: legem meam ne derelinquatis.* Per hanc enim contulit nobis, ut sine errore et difficultate viam salutis ambulare possemus. Unde: *Pentecoste dedicatio legis est*, ait S. Hieronymus, in epistola ad Fabiolam: præfigurata in pentecoste Judæorum, qua et ipsis lex in monte Sinai promulgata fuit. Porro columna illam Hebræorum ducem fuisse legis nostræ luculentum typum, ex dictis intelligimus, quia ut illa Hebræos in terram optimam, ita nos lex nostra in cælum ducit, ut proinde de ea, dicere possimus, quod in hodierno evangelio Dominus (de pastore ait: *Vadit ante oves, et oves illum sequuntur.* Hujus ergo ductoris beneficia, et qui eum sequi nos oporteat, nunc videamus.

I. Columna ignis per noctem Hebræos illuminavit, et per diem in specie nobis viam ostendit. Idem nobis præstat lex evangelica, et suo modo etiam leges aliæ tam civiles, quam ecclesiasticæ. Lumen enim accedunt nobis, et docent qua eundem sit. Hinc in specie ignis Spiritus sanctus illapsus est in corda primorum Christianorum, inscribens in illis legem suam; ideoque *lux et lucerna* appellatur lex in sacris litteris, uti Proverbiorum VI. *Mandatum lucerna est et lex lux:* et Psalmo XVIII. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Lucerna, quia ut ait Sanctus Ambrosius in Psalmo CXVIII. versu CV. *Nobis in hac mundi nocte præluceat, ne sicut in tenebris ambulantes, incertis titubemus vestigiis, et viam veram invenire nequeamus:* lux quia per diem ambulantis viam virtutis præmonstrat. Lucerna noctu prælata et lux diurna foveas, laqueos et lapides, quibus mergi, capi et impingere possemus, ostendit: ita et lex. Unde Paulus ad Romanos VII. ait: *Peccatum non cognovi nisi per legem. Concupiscentiam nesciebam (esse peccatum) nisi lex diceret: Non concupisces.* Hinc qui legibus carent vel non utuntur, passim gravissimè labuntur et impingunt in varia peccata, vivuntque velut bestie in omni turpitudine, uti Brasili, qui se invicem, et imprimis advenas capiunt, maculant, devorant, velut immanes ferae, quia uti in sua lingua carent tribus litteris F, L, R, ita carent fide, lege, rege. Quare verissime Plato dixit,